



Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructæ

De Vacatione, Amissione, Et Extinctione Beneficiorvm ...

Leuren, Peter

Coloniæ Agrippinæ, 1704

458. An, & qualiter, seu cujus consensus requiratur in impositione pensionis beneficio, dum illud Rectorem non habet, seu vacat.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74494](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74494)

q. 36. n. 46. Quin & derogationem hujus consensu impracticabilem esse, ait Lott. cit. q. 35. n. 72. in fine. idque declarat n. 73. & cit. q. 36. n. 117. indicat, consensum illum de potestate ordinaria suppleri non posse, quamvis ibidem pariter iudicet, illum posse suppleri, seu ei derogari de plenitudine potestatis, quæ in se semper habet aliquid amari. Quod ultimum satis indicat Card. de Luca in parentesi illa paulò supra adducta. Et de hoc consensu loquuntur ferè AA. dum dicunt, consensum resignarii seu gravati requiri. v.g. Paris. l. 6. q. 2. n. 155. Item illius, qui habebat beneficium, dum nimirum pensio imponitur beneficio pleno & non vacanti, de quo Card. de Luc. l. c. n. 12.

4. Respondeo quartò: Minimè verò intelligenda hæc sunt de consensu illo, qui ad differentiam præcedentis, dicitur formalis, qui præstatur in expeditione literarum juxta reg. cancell. 45. utpote qui, ut Lott. cit. q. 35. n. 70. formam solum expeditionis literarum respicit, & non substantiam gratiæ, sive ut Card. de Luc. loc. cit. ad quandam formalitatem potiùs, quàm ad necessitatem requisitus. Et cui Papa consuevit derogare, Ventrigl. loc. cit. Lott. cit. q. 35. n. 71. Et de derogatione hujus consensu intelligendus Chokier ad reg. de præst. consensu. n. 47. quem Lotterius ait, non attendisse ad distinctionem horum duorum consensuum gravati. Porro huic posteriori consensui derogatur, quoties confertur beneficium absenti cum reservatione pensionis. Paris. l. 8. q. 8. n. 118. Chok. ad reg. 44. cancell. n. 47. Ventrigl. loc. cit. n. 9. citans Gig. de pens. q. 10. n. 7. & 11. Card. Paris. cons. 5. n. 56. vol. 4. Item quoties resignatur beneficium in favorem minoris absentis, ita ut hujus consensu necessarius non sit, Chok. loc. cit. Paris. loc. cit. n. 120. Ventrigl. cit. n. 9. Item quando reservatur pensio juxta concordiam. Ventrigl. ibidem. & in casu Mohedæ decis. 501. ad quam remittit Paris. loc. cit. n. 121. Oportet tamen derogationem hujus consensu esse nominatim & expressam, cum regula dicta Cancell. 45. habeat decretum irritans. Ventrigl. loc. cit. n. 10. ex Paris. loc. cit. n. 122. Proinde jam dictus consensus formalis citra hujusmodi derogationem requiritur regulariter, Ventrigl. loc. cit. n. 8. Sed non nisi ad satisfaciendum dictæ regulæ, vel etiam pro majore cautela pensionarii. Card. de Luca loc. cit. n. 10. quemadmodum, ut Card. de Luc. l. c. n. 11. licet omnino necessaria sit expeditio literarum, sine qua pensio exigere nequit sub pœna amissionis pensionis (de quo infra) id tamen procedit ratione decreti, quod in eadem reservatione adjici solet pro iuribus & emolumentis officialium absque eo, quod concernat substantiam & perfectionem gratiæ, cum expeditis literis exigere possint, ac debeantur termini ante expeditionem literarum decursi, computando tempus à die signatæ supplicæ, ex quo gratia perfecta est.

5. Illud hic circa utrumque hunc consensum causalem & formalem notandum ex Lott. cit. q. 35. n. 86. & 87. quod si Papa (quod tamen se nunquam vidisse contigisse, ait idem Lott.) pensionem reservaret beneficio adhuc vacante, neque esse locum regulæ de præstando consensu formali, neque etiam deficere formam talis pensionis ex defectu consensu causalis, quia Papa hunc tantisper suspendit, non autem removel, quia mox ut providet de beneficio, & provisus illud acceptat pensione gravatum, dicitur de facto consentire & contrahere.

Quæstio 457. An requiratur quoque consensus illius, qui pensionem solvere debet in impositione pensionis facta per Episcopos vel Legatos in casibus, in quibus ipsi imponere pensionem possunt?

Respondeo: Multò magis requiri consensum illum respectu illorum; cùm illi juri Pontificio, quo hic consensus requiritur, derogare non possint. Castrop. loc. cit. Azor p. 2. l. 8. c. 8. q. 6. Garc. p. 1. c. 5. n. 320. citantes Gig. de pens. q. 10. Caccialup. tr. cod. q. 5. Sed quid, si tanquam arbitri & iudex imponeret pensionem non beneficio, sed personæ beneficiatæ pro bono pacis, an non ad consentiendum cogere posset partes?

Quæstio 458. An, & qualiter, seu cuius consensus requiratur in impositione pensionis beneficio, dum illud rectorem non habet, sed vacat?

Respondeo: Castrop. de benef. d. 1. p. 11. s. 5. n. 2. Azor. loc. cit. censent constituendum beneficio defensorum, qui loco beneficiarii consentiat pensioni; eò quòd, ut Castrop. licet pensio non sit propriè alienatio (in quo casu requiritur talis defensor) sit tamen quasi alienatio; tum etiam & maximè, quia aliquis est obligandus ad solutionem pensionis, qui in eo casu non possit esse alius, quàm dictus defensor & fructuum custos. De quo dicendum videtur, quod dicitur paulò post de beneficiato consentiente etiam pro successoribus suis, nimirum, quòd, dum provisus de tali beneficio acceptando illud jam gravatum, ratihabendo consensum illum; eam obligationem contrahat. Nihilominus Garc. p. 1. c. 5. n. 320. censet, non requiri talem defensorem ad consentiendum pensioni, sed posse eam imponi absque eo, quòd tunc consensus aliquis requiratur. Loquuntur autem hi AA. de pensione imponenda per Episcopum. De cetero enim procedere posset doctrina Garcia respectu pensionis imponenda per Papam beneficio vacante.

Quæstio 459. An requiratur consensus habentis regressum ad beneficium, cui imponitur pensio, ità ut si hic desit, pensio reservata sit nulla?

Respondeo negativè, seu validam adhuc fore pensionem talem. Paris. l. 6. q. 2. n. 86. citans Gig. de pens. q. 79. col. 1. & n. 87. in fine. subdens; id eò magis procedere, si in supplicatione narretur, esse reservatum regressum in illo beneficio, intellige absque eo, quòd requisitus sit iustus reservarii consensus, aut is concessus exprimat in illa supplicatione, quia hoc ipsum tacitum esse in impetratione non importat subreptionem; etsi enim causa de præsentibus aut præteritis existentibus aliis tales, quæ retraherent, aut difficiliorem redderent Principem in concedenda gratia, sint in consideratione quòd ad subreptionem, obreptionem, & intentionis defectum inducendum, non autem, quæ sunt de futuro potente contingere & non contingere, adeòque de futuris habentibus se ad esse & non esse, non est in impetratione necessariò facienda mentio; jam verò regressus pendet à futuro eventu, & illi potest esse locus vel non esse. Paris. n. 87. Nihilominus istiusmodi pensionem annullandam, cùm locus erit regressus vel accessus, et